



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

VIII. Vtrum necessitas Gratiae intrinsecè supernaturalis sit communis
naturæ integræ cum lapsa?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

classibus testimoniorum per ipsos obiectis. Præterea ex postremis Augustini verbis colligitur id, in quo nunc immediatè verlamur; nempe Fidem requiri ad opus quodlibet bonum bonitate salutari, ratione motiui, quod sola ipsa fides proponere potest; ac proinde motiuum actus salutaris necessariò esse supernaturale; Nempe quod est naturale, ratio naturalis proponere potest.

Ad 3. Dignitas, & perfectio operantis, quæ non exercetur in opere, non potest dignificare opus, quia potius operans, quatenus infra dignitatem operatur, nec deducit in opus perfectionem actiuam, qua pollet, reprehensione magis videtur dignus, quàm præmio. Patet autem habentem auxilia intrinsecè supernaturalia, & proinde vocatum, vt operetur ex motiuo supernaturali, si nihilominus eliciat actum intrinsecè naturalem, operari adæquatè infra perfectionem actiuam supernaturalem, atque contemnere motiuum supernaturale, præ naturali, & consequenter non exerceri in tali opere gratiam habitualement, quæ est radix Gratiæ actualis supernaturalis, & mediante ipsa quatenus supernaturali influit in opus. Vnde patet paritatem ex comprincipio physico supernaturali, nihil conuincere; sed potius conuincere oppositum, quia si solum vniatur cum comprincipio naturali, nec illi operanti cooperetur physicè, effectus non euadet perfectior physicè.

Art. 1. Ad 4. Axiomatis illius; *Facienti quod in se est, Deus non denegat Gratiam*, duplex est sensus legitimus. Alter est, Facienti quod in se est, cooperando Gratiæ, quam iam habet, Deus non denegat aliam deinde, & aliam Gratiam. Alter est, Conanti quantum est in se, vt laudabiliter vtatur obiectorum, aliarumque causarum naturalium occurribus impellentibus ad bonum morale, Deus non denegat præuenientem Gratiam supernaturalem, vi cuius conatus alioqui futuri naturales, ac inanes, euadant intrinsecè supernaturales, ac proinde salutares. Stat nimirum Deus ad ostium, & pulsar, præueniens nos per Gratiam, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; potens, & volens omnes homines saluos fieri, atque in eum finem sese inferens causarum naturalium opportunitatibus purè passiuus per Gratiæ supernaturalis auxilia, quibus conatus humani prosperentur, elicit, prout oportet ad salutem: Quare Gratiæ non est pedissequa ad opus naturale; sed præueniens, vt sit supernaturale, si per voluntatem non steterit nolentem obsequi nobiliori Dei illustrationi ac directioni.

Art. 2. Id verò negandum omninò est, quod in obiectione dicitur de petitione, quaestione, pullatione præueniente ad omnia dona Gratiæ supernaturalis. Nempe in testimoniis obiectis, non præmittitur petitio, vti contendebant Semipelagiani, vbertati donorum Dei, vel tanquam habita ex solis viribus Naturæ, vel tanquam conditio sine qua non ad omnia dona Dei profuit indebita, & superantia vires, ac exigentiam Naturæ; Ipsa namque petitio facta prout oportet ad salutem, superat vigorem naturæ, & est ex Gratiæ supernaturalis, vt constat ex testimoniis Arausiaci, & Tridentini superius positis. Suademur ergo, vt ab oratione, & precibus ducamus initium iustificationis, & directionis animæ in beatitudinem supernaturalem, reliquorumque postea operum magis difficultium, quia petitio est actus, indigenti (qualis est vnusquisque nostrum) ex se facillimus, simulque est, quod testimonia obiectionis declarant, efficacissimus apud Deum. Ad petendum igitur, quærendum, & pullandum dat sæpè Deus Gratiam purè præuenientem, ideoque, quæ nullum supponat nostrum meritum respectu ipsius siue mediare, siue immediatè ille influat in nostros actus; de quo dicitur infra, & simul ostenditur

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

detur non excludi cooperationem Gratiæ respectu alicuius operis ex eo, quod homo faciat, quantum est in se, dum illud exequitur. Quinimò nunquam hominem facere quantum est in se, seu quantum potest ex se tam effectiue, quam effectiue, quin Gratiæ ipsi cooperetur. Iam processus in infinitum sistitur dante Deo Gratiæ purè præuenientem ad orandum, vt dictum est.



QVÆSTIO VIII.

Vtrum necessitas Gratiæ intrinsecè supernaturalis sit communis naturæ integræ cum lapsa.



IDE TVR non esse communem, propter quamplura D. Augustini testimonia, quibus videtur apertè negari naturam innocentem indigere Gratiæ ad consequendam vitam æternam, & præstanda ea opera, quibus illa obtinetur. Docet namque 1. idque sæpe, & luculenter, Creaturam rationalem condidi non posse, absque dilectione Dei, veritatis, & iustitiæ, aut saltem absque perfecta sufficientia ad illa, & Deum fore iniustum, si ita condere vellet hominem, aut Angelum. Docet 2. Nemini negari à Deo posse vitam æternam, & visionem beatam, si peccando non reddat se indignum tantis donis, atque oppositum, vel maximè impossibile esse cum Iustitia, & æquitate Dei. 3. Denique docet Deum futurum fuisse iniustum dum tot paruulos decedentes sine Baptismo, excludit à Regno Cælorum; si nullum esset peccatum originale vniuersaliter afficiens genus humanum; Primi generis testimonia habentur l. 2. de lib. arbit. à c. 10. ad 20. & lib. de duab. anim. c. 3. & 4. Secundi verò, & tertij generis habentur l. 3. contra Iulian. c. 12. & l. 5. c. 11. & ferm. 4. de verb. Apost. c. 5. Atque in his quidem locis, ea principia traduntur fusius, & magis ex professo, obiter autem, atque breuiter, sed clarissimè, in aliis præterea penè innumeris, quorum propterea nullum necesse est transcribere seorsim, aut expendere, quia eæ phrasæ, ac sententiæ sunt apud Augustinum obuia, ipsumque vel leuiter euoluentibus profusè indubitata. Nihil autem ex illis tribus videtur vilo pacto coherere posse, cum necessitate auxiliorum Gratiæ intrinsecè supernaturalium respectu Naturæ Integræ, ideoque Innocentis. Quandoquidem vnusquisque absque his produci, & existere potest, quæ gratuitò, & purè liberaliter sibi superadduntur, eademque, tam quoad finem, quàm quoad media eisdem absque vlla iniustitia negantur, tamen nullo peccato seu personali, seu originali se reddiderit indignum. Ergo Naturæ integræ, ac Innocenti non est communis cum natura lapsa, & peccatrice necessitas auxiliorum supernaturalium Gratiæ, & poterunt Angeli, necnon Adamus ante peccatum edere opera quælibet salutaria, atque elicere dilectionem Dei, & Iustitiæ, quæ est vinculum perfectionis, ac deum obtinere vitam æternam iis solum viribus, & auxiliis suffulti, cum quibus eorum natura esset ex se, & intrinsecè connexa, quæque proinde essent ipsi innegabilia, iuxta legem naturæ ipsis secundum se ante peccatum essentialiter confertam.

Art. 1. Resp. Necessitas auxiliorum Gratiæ præcipuè talis asserenda omninò est communis statui Naturæ Integræ cum lapsa, nec est vilo pacto admitendum Naturam, vel Angelicam, vel humanam, se sola,

N n 2

aut cum iis solis, quæ ad ipsam secundum se necessariò, ac inevitabiliter consequuntur, sufficere ad consecutionem vitæ æternæ consistentis in Dei visione immediata. Id quod Argumenta producta in quæst. præced. efficaciter convincunt, utpote nihil asumentia, quod sit speciale, ac proprium naturæ lapsæ, sed ea solum, quæ sunt communia naturæ cuilibet creatæ pro quovis statu non superaddente dona Dei omnino gratuita, & supernaturalia. Præterea D. Augustin. lib. 12. de Civit. cap. 9. docet ex professo, Angelos indignisse Gratia Dei ad habendam bonam voluntatem, & charitatem. Vnde post medium capitis dicitur *Deus simul in eis condens naturam, & largiens Gratiam*. Deinde urget efficaciter, & luculenter impotentiam primi hominis ante peccatum, necnon, & Angelorum, ad faciendum quidquam boni, & perseverandum in accepta iustitia, absque auxilio Gratia, in Enchirid. variis in locis, maximè verò c. 106. & 107. & in lib. de Corrept. & Grat. cap. 11. & 12. Atque alibi sæpissimè. Insistit fideliter vestigiis Magistri Fulgentius lib. 2. ad Thras. vbi cum ex ruina aliquorum conclusisset, reliquos Angelos stetit per gratiam, subdit sic: *Non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna in vitroque Gratia operata est, &c.* Quod caput est, Concilium Arausicanum can. 19. clarissimis verbis definit istud dogma. *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam Creatore suo non adiuvante servaret. Vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam recepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit.* Ob hæc igitur, & similia complura dubitare minimè licet quin ad opera salutaria, & positivè conducentia in vitam æternam consistentem in visione Dei, sit necessaria gratia propriissimè talis, naturæ non minùs innocenti, quàm peccatrici.

Art. 2. Neque verò errorem contrarium peperit ignoratio istiusmodi testimoniorum, utpote quæ nimis frequentia sint in sacris Scriptoribus, atque iam apud omnes vulgaria; sed magis in illum aliquos induxit difficultas concordia inter eadem testimonia, & illa alia, quæ in ratione dubitandi proposita sunt, quæque Augustinus fusiùs profequitur, ac sapius, & conatu urget vehementiore propter rationem paulò post insinuandam. Et quidem ratio concordia ex eo petita, quòd auxilia subministrata naturæ innocenti, tamen innegabilia profus sint eidem ante peccatum; sint nihilominus præpriissimè Gratia, vel quia ipsa conditio, & existencia naturæ rationalis, cui illa sunt deuincta, est gratiosa, atque rationi Gratia absolutè talis non obstat debitum ex suppositione gratiosa; vel quia Gratia apud Augustinum, & alios sacros Scriptores solum vsurpatur, prout opponitur meritis, iuxta illud Pauli: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam*: Non verò prout opponitur connexioni physicae aliorum cum aliis rebus; cum & Augustinus dum agit contra Pelagium, solis meritis vbique Gratiam opponat: vel quia Gratia Dei dicitur, quidquid virtute naturæ fieri non potest, sed sola virtute diuina, tamen eidem naturæ ita debitum sit, ut negari à Deo minimè possit; atque ob hæc, posse eadem auxilia esse debita, & omnino innegabilia naturæ innocenti, ut prædicant testimonia rationis dubitandi, simulque verè, & propriè gratiosa, ut definiunt posteriora verè sententia testimonia.

Art. 3. Hæc, inquam, ratio concordia subsistere nequaquam potest. Minimè verò omnium quoad primum illud de gratuita creatione, quia ut notatum est quæstione prima, ex August. epist. 105. Gratia apud sacros Scriptores non vsurpatur pro ea, quæ conti-

netur in dono creationis, & per illam talis denominatur; atque Augustinus orat ibidem, ut eam Gratia intelligentiam auertat Deus à cordibus Fidelium. Præterea Pelagius, & alij inimici veræ Gratia Dei, non negabant necessitatem Gratia, quæ ex gratuita solum creatione talis diceretur, ac esset, quin in eiusmodi Gratia assertionem latebras, ac defensionem sui erroris collocabant, ut distinctè refert, & totis viribus refellit Augustinus de verb. Apost. sermon. 11. de peccat. mer. & rem. c. 18. l. de Nat. & Grat. per totum, & alibi. Vnde interpretatio testimoniorum de necessitate gratia, recurrens ad gratuitam Creationem, non recedit à Pelagianismo, & toto cælo recedit à constanti significatione Gratia, apud Concilia, & Patres.

Art. 4. Sed neque interpretatio altera de Gratia prout opposita solis meritis sustineri vllò pacto potest. Quod enim Augustinus in posterioribus contra Pelagium disputationibus, solis meritis contraponat Gratiam, non inde provenit, quod eam aut agnosceret, aut permetteret physice debitam naturæ, ut constat ex locis indicatis pro vera sententia; sed ex eo quod Pelagius, cum quo conficebat, eam Gratiam, quam iam admittebat, licet inconsequenter, gratuitam, solis meritis, sine vera gratia præeuntibus annectebat; ut liquet inter alia, ex cap. 14. de Grat. & lib. arbit. vbi sic habetur. *Cum ergo in his conuicti fuerint, ad hoc se conuertunt, ut quocumque modo conentur ostendere Gratiam secundum merita nostra dari.* Deinde tam Concilium Arausicanum, quàm Augustinus, iisdem locis iam exhibitis, eadem voce Gratia, eodemque tenore verborum significantur auxilia necessaria pro statu naturæ lapsæ, & naturæ innocenti; eandemque esse rem significatam, & eandem rationem Gratia, exprimit clarè Fulgentius ibidem. Si ergo exinaniatur semel, atque ludificetur nomen Gratia pro statu naturæ Innocenti, excludendo quidem merita; sed non excludendo ius infirmitatis fundatum in humanæ naturæ secundum se constitutione, & dignitate, nullum supererit argumentum pro adstruenda necessitate Gratia omnino indebitæ in statu naturæ lapsæ. Hæc namque necessitas solis stabilitur testimoniis, quæ nomen Gratia simpliciter vsurpant, eiusque sic vsurpatæ necessitatem definiunt, non aliter, ac ea testimonia, quibus ista modò interpretatio accommodatur per absurdissimam distinctionem Gratia debita, & diminuta innegabilis, à Gratia, omni ex capite indebita, hoc est gratia, quæ non est Gratia, ab ea, quæ est Gratia, ut opponitur meritis, & Gratia Pelagianorum Augustinus, loco nuper indicato, & alibi sæpè. Nec enim minùs est debitum, quod debetur naturæ secundum se, nec est illi negabile, etiam de potentia Dei absoluta, quàm quod est debitum meritis; ac proinde illa ratio debiti non minùs, sed fortè magis opponitur rationi Gratia, quàm ista posterior ratio debiti.

Art. 5. Ex his reicitur illud etiam postremum de auxiliis debitis quidem Naturæ; sed non contentum in virtute actiua Naturæ: Quia pro ratione Gratia saluanda, vel reicienda, non consideratur qualis sit causa cuiusque effectus, sed qualis sit possibilitas negandi, & qualis ratio indebiti. Vnde dum statuitur Angelis, & Adamo ante peccatum, non potuisse à Deo negari dilectionem veritatis, & Iustitiæ, aut sufficientiam ad eandem, nihil refert, quod vtralibet, seu vtraque à solo Deo effici possit, si à Deo negari non potest. Qui enim dat, quod negare non potest, non facit Gratiam, tamen nullus alius illud idem dare possit, quod non est opus pluribus confirmare.

Art. 6. Alia igitur concordia ratio communiter adhibita ab Auctoribus probatis, testimonia, quæ adducta sunt

sunt pro vera sententia, accipit, ut sonant, pro exponendis illis aliis, ex ratione dubitandi, substruit duplicem distinctionem: Alteram auxiliorum, & actuum salutarium, ac supernaturalium, ab actibus honestis, & auxiliis purè naturalibus, nec conducentibus ad vitam æternam; Alteram debiti ex suppositione eleuationis in finem supernaturalem à debito respectu naturæ secundum se; concludit deinde, priora illa testimonia de impossibilitate condendi humanam naturam absque dilectione Dei, aut certè abique sufficientia ad illam, accipienda esse, de dilectione & sufficientia naturali, ac minimè salutari, cum testimoniis quæ prædicant necessitatem Gratiæ, accipienda sint de auxilio, & opere salutari. Testimonia verò secundi, & tertij generis, de innegabilitate vitæ æternæ respectu hominis innocentis, seu nondum peccatoris, concludit similiter intelligenda esse, ex suppositione legis, promissionisque diuinæ, de factò existentis, & eleuantis hominem ad finem supernaturalem; cum seclusa tali Lege, ac promissione, sit negabilis vita æterna, & visio Dei abique vlla iniustitia, Homini, nullum etiam habenti peccatum.

Art. 7. Ista concordia ratio est quidem legitima: sed nequit penitus quietare intellectum, dum non ostenditur fundamentum earum distinctionum in D. Augustino, necnon variatæ ab eodem suppositionis, dum vniuersaliter, & sine vlla restrictione de iisdem rebus modò dicit esse innegabiles, modò dicit esse gratiosas; modò innegabiles innocenti sine iniustitia, modò sine iniustitia negabiles, & conferribiles, solum per Gratiam. Et si quidem ex hac ipsa tam manifesta oppositione dictionum rectè deducatur variatio suppositionis, quod tamen eo determinatè sensu, ac modo variata sit, id verò est, de quo desideratur fundamentum speciale ex Augustino. Desideratur verò iure optimo, & est valde necessarium: Quia propositiones Augustini in vtrique parte, effertur sub forma vniuersalissima loquendi. Præterea circa distinctionem naturæ eleuatæ à non eleuata, quodque, ea supposita distinctione argumentatus sit Augustinus contra Pelagium, difficultatem ingerit non leuem. Nam si Augustinus argumentatus fuisset contra Pelagium supposita eleuatione gratuita naturæ ad finem supernaturalem constitutum in visione Dei; supposuisset vt certum ante certamen, quod apud aduersarium, non vtrumque esset incertum; sed pertinacissimè omnium semper negatum. Nempè Pelagius, & Pelagiani, nihil pertinacius statuebant, quàm liberum Hominis arbitrium ex sua natura esse ordinatum ad vitam æternam, & Regnum Cælorum suis meritis obtinendum independentem ab omni gratuita Dei promissione, atque eleuatione. Ne igitur Augustinus dicatur ineptus argumentator, videtur non esse conueniendus in eiusmodi suppositionem.

Art. 8. Vt igitur liquidò appareat communem illam rationem concordia esse veram, & optimè fundatam in doctrina Augustini, atque necessaria consecutione inde deductam; Obseruandum est loca præcipua Augustini pro impossibilitate condendi naturam humanam, absque sufficientia dilectionis Dei, veritatis, atque iustitiæ, & vitiationis peccatorum, promi ex disputationibus eius contra Manichæos, ex libris scilicet de libero Arbitrio, & libro de duabus Animabus, quos constat contra heresim Manichæorum fuisse conscriptos. Loca autem præcipua pro iniustitia Dei negantis vitam æternam, seu Regnum Cælorum homini innocenti, nullumque habenti peccatum, promuntur ex disputationibus contra Pelagianos, quatenus negantes peccatum originale ab Adamo in posteros deriuatum; Ex libris scilicet illis contra Iulianum, & ex illo sermone 14. In quibus solum agitur de hoc puncto.

R. P. E. Sparza. Curs. Theol. Tom. I.

Art. 9. Iam verò Manichæi, & Pelagiani tam inter se, quàm cum Augustino, ex diuersis licet fundamentis, in hoc vnum vtrumque asserendum vniuersi consensu conueniebant, quod vita æterna, & summum bonum, quod est Deus, sit vltimus finis humanæ naturæ præfixus. Constat admisisse id Manichæos, cum ex Libris contra ipsos modò indicatis, tum clarissimè ex libro quarto contra Faustum Manichæum. cap. 2. & ex Libro contra Fortunatum 1. & 2. disput. versus finem, & propè initium, & ex omnibus ferè reliquis opusculis contra eisdem Pelagianos id ipsum admisisse tam est notum, quàm est nota eorū hæresis, tribuens libero Arbitrio vires ex se sufficientes & ordinatas tanquam ad vltimum suum finem ad vitam æternam, fruitionem Dei, regnumque Cælorum obtinendum independentem à vera Dei Gratia. Vtrique igitur inter se, & cum Augustino conueniebant, quoad hoc punctum.

Art. 10. Sed communis dogmatis diuersum ex eo erat fundamentum, quia Manichæi comminisciebantur commixtionem à Deo factam duplicis animæ, alterius naturæ, siue, vt dicitur in Scholis, intrinsecæ, ac essentialiter bonæ, alterius similiter malæ: ex quibus bonam dicebant particulam Deitatis, malam particulam ignis, & fumi, atque ex istius prædominio, & coactione manare omnia hominum mala, atque peccata, à quibus, & à permixtione animæ ex se malæ, cum purgata, ac liberata foret pars illa ex se bona, tunc verò eam ad Deum remigrare, & summi boni compotem fieri: Quæ omnia referuntur ab Augustino in libris citatis contra Manichæos, præsertim in illo contra Fortunatum 16. At Pelagiani ideo id ipsum asseriebant, quia liberum Hominis arbitrium factum est à Deo ipsius Dei ita capax, vt ex sufficientia sua ordinatum sit ad eiusdem possessionem. Augustinus autem idem dogma adstruebat ex gratia, & promissione Dei hominem iuuantis, & ordinantis gratuitò ad eum finem. Quæ duo liquent ex locis citatis pro vera sententia, exque omnibus Augustini contra Pelagianos disputationibus, quoad necessitatem Gratiæ. Omnium enim scopus hic est, vt Augustinus probet non nisi ex Gratia Dei vitam æternam consequibilem esse ab homine, quam sine gratia consequibilem dicebat Pelagius. Manifestum verò est finem, non consequibilem absque adiutorio gratioso, non nisi gratuitò proponi, & ex gratuita solum oblatione deberi posse.

Art. 11. Itaque in controuersia tam cum Manichæis de origine mali, quàm cum Pelagianis de peccato Originali, supponit iure suo Augustinus, id in quo cum vtrisque ipse conueniebat circa vltimum finem Hominis, quatenus ea suppositio erat sibi necessaria, & sufficiens ad conuincendos vtrisque, simulque eodem iure præscindit ab iis, in quibus ab vtrisque dissidebat, quatenus expressio dissensionis, & propriæ sententiæ comprobatio necessaria minimè erat ad victoriam in suscepta controuersia. Quæ duo omnis idoneus, & exactus disputator, semper, & vbique obseruat diligenter. Necessarium autem erat, & sufficiens supponere vltimum finem hominis, aut secundum se totum, aut secundum partem sui præcipuam, esse vitam æternam, & summi boni possessionem, siue id proueniret ex natura rei, siue ex gratuita Dei eleuatione.

Art. 12. Erat quidem sufficiens, quia sapiens, optimus, & omnipotens Gubernator nequit vlli innocenti, nullisque suis malis meritis impediendi, negare aut media necessaria ad suum finem consequendum, aut ipsius finis immediatam consecutionem, si media negauerit. Quod principium multis, magnisque argumentis demonstrabile est, demonstraturque luculenter ab Augustino in iis ipsis locis, in

Na 3 quo

quorum interpretatione versamur. Perstat verò æquè immobile, vt patet, siue ex natura rei, siue ex gratuita elevatione, & promissione, sit vnicique constitutus talis finis. Supposito igitur ex consensu Manichæorū & Pelagianorum absque expressione rationum differentialium non necessariarum, vt sit inter Antagonistas impigros, & mutuo peritos principiorum alterius, vltimum finem hominis esse vitam æternam, & summi boni possessionem; optimè, ac insuperabiliter colligitur, tum contra Manichæos, hominem condi non potuisse cum permixtione animæ naturæ malæ, cogentis ad actus malos, & absque sufficientia ad dilectionem Dei, iustitiæ, & veritatis, sine qua vitari non possunt peccata auerentia ab eo sine: tum contra Pelagianos, homini innocenti, atque adedò paruulis decedentibus ante vsum rationis, si carent peccato originali, negari non posse vitam æternam, regnumque Cœlorum. Ergo ea suppositio, eo quo dixi modo facta, erat vtrobique sufficiens ad intentum.

Art. 13. Eadem autem erat profus necessaria, quia vnicique negantur absque vlla violentia, & iniustæ gubernationis labe, quæ neque sunt eius finis, neque ad eius finem vllò pacto pertinent. Quorum nimirum appetitus, neque inest per se determinatus, absolutus, & efficax; neque actiuitas potentiæ iisdem proportionata esse potest, cum vnaquæque potentia actiua sit propter operationem, ideoque operatio non possit esse aliena à sine potentiæ, saltem omnis, aut præcipua.

Art. 14. Eodem modo, quo hic discursus concludit, Augustinum supposuisse ordinationem hominis in vitam æternam, & adeptionem summi boni, siue naturalem, siue gratuitam; id est, cum præcisione ab vtraque ista eius finis conditione. Eodem, inquam, modo ostendi facile potest in assertionem directam aduersus Manichæos de impossibilitate condendi hominem absque sufficientia ad dilectionem Dei, veritatis, atque iustitiæ, præscindere Augustinum à dilectione naturali, & supernaturali, quia ad excludendam commixtionem animæ naturæ malæ, & necessitatem coactiuam ad peccata ex ea prouenientem, tam erat idonea impossibilitas negandi homini in sua conditione dilectionem naturalem, quam supernaturalem. Vtralibet enim est impossibilis essentialiter cum affectu peccaminoso auerente à Deo, & excludente eum, vt vltimum finem: ideoque, & sufficientia plena, atque perfecta ad vtralibet eiusmodi dilectionem erat essentialiter impossibilis cum qualibet necessitate, & commixtione cogente ad eiusmodi peccata. Erat igitur extra scopum, & rem Augustini, dum agebat contra Manichæos, vt assereret, aut probaret impossibilitatem condendi hominem absque dilectione illa bona determinatè, vt supernaturali.

Art. 15. In disputationibus autem contra Pelagianos, quia agebatur de re longè diuersa, de sufficientia scilicet liberi arbitrij ad obtinendam vitam æternam propositam homini, promissam, ac præceptam in sacris literis; opus iam fuit, vt loqueretur de dilectione Dei, & aliis actibus determinatè, vt salutaribus, adeoque, vt nos contendimus, supernaturalibus. Vnde etiam cum eisdem agens, docet consequenter, nullum peccatum vitari posse absque dilectione, & delectatione data per Spiritum sanctum, & habita per gratiam. Quia agit de vitatione salutaris, & positivè conducenti ad eum finem supernaturalem. Aliàs enim, etiam per vnum peccatum potest vitari aliud peccatum.

Art. 16. Satis iam ex his apparet, quænam sit legitima ratio interpretandi, & inuicem componendi testimonia veræ sententiæ, & rationes dubitandi.

Dicendum namque est, Augustinum, dum asserit impossibilitatem condendi hominem absque dilectione Dei, aut saltem absque sufficientia ad illam, loqui de dilectione, præscindendo à naturali, & supernaturali: solumque velle deberi homini vires ad vitanda peccata, & conseruandam innocentiam. Dum verò rursus docet, Deum fore iniustum, si homini innocenti, atque adedò paruulis non infectis peccato originali negaret vitam æternam, Regnumque Cœlorum, loqui supposita ordinatione hominis ad eum finem vltimum, non ea connaturali determinatè, quæ admittetur à Pelagianis; aut omninò gratuita, & purè liberali, quæ ab iisdem reiciebatur, sed vtralibet indeterminatè. Denique dum adstruit necessitatem gratiæ ad opera quælibet bona, loqui de opere bono conducente positivè ad vitam æternam consistentem in visione Dei. Quo omnia sibi facile consonant, & tolluntur omnes scrupuli moti superius aduersus communem Scholasticorum concordiam rationem, omnesque rationes dubitandi iam initio propositæ.

Art. 17. Hic interpretandi modus per præcisionem à dogmatibus, & principiis non necessariis ad dirimendam controuersiam susceptam, ideo est amplectendus fidentiùs, quia est sæpè vsurpatus ab eodem Augustino pro exponendo similiter seipso, vt videre licet in Epist. 28. ab illis verbis: *Hæc tunc dixi. Sed videndus omninò est in re omninò simili, & partim eadem cum ea, de qua modò agitur, lib. 1. retractat. cap. 9. & semel, atque iterum lib. de dono perseverant. cap. 11. ab illis verbis: Et poteram si cut feci, quodlibet horum verum esset, que non desinere interponebam. Et cap. 12. ab illis. Contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, vt sine pena esset peccati originalis in paruulis, &c. Et iterum ab illis: Secundum vtrumque sensum hoc defendere malui, & secundum nostrum scilicet, &c. Denique l. 1. Operis imperfecti fol. 37. & lib. 2. fol. 2. 8. & 245. vt occurreret Iuliano obiicienti suam ipsius Augustini doctrinam contra Manichæos, vt nobis obicitur in præfenti, instituit distinctionem peccati, cuius nullum vestigium erat, vel in illa contra Manichæos disputatione, vel in posterioribus specie tenus contrariis aduersus Pelagianos documentis, quousque postea suæ doctrinæ inconsequentia peteretur.*

Art. 18. Non igitur mirandum est, aut arguè ferendum, si & nos, tum in re præfenti, tum aliquoties in progressu ex imitatione eiusdem Augustini, & cum fundamento in scopo, & intentione eiusdem, aliquas similes distinctiones inuehamus, cum necessitas postulat, & ratio consequentiæ in ipso Augustino. Quæ verò maior necessitas, quàm quæ iniicitur in præfenti per prædicata contradictoria, de re sub iisdem vocibus contenta, qualia sunt esse innegabile, & debitum ex iustitia. Atque ex alia parte non posse haberi nisi ex gratia. Ideoque & indebitum, & negabile esse: Quod si loca præcipua, in quibus illa vtriusque generis principia tractantur ex professo, legitima concordiam ratione necluntur ex dictis, vt clarissimè apparet legitime necl; Dubitandum non est, alia similiter dicta cursim tantum, ac obiter, vbi cumque tandem reperiantur, in eundem illa sensum accipienda esse.